





Q. R. B. V.

52. 11

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

Exercitatio Decimasexta 1695 86

DE

FEUDIALIENATI

REVOCAZIONE, ET

OBLIGATIONE FEUDALI

EX QVASI CONTRACTU.

Quam

PRÆSIDE

CASPARE HEINRICO HORNIO,

J. U. D. Pandectarum P. P. atq; Collegiorum

Juridicorum, quæ hic sunt, Adessore,

D. April. MDC. XCV.

In Auditorio Jctorum

publice defendet

FRIDERICUS GODOFREDUS de

WOLFFERSDORFF, Eques Lufatus.

WITTEBERGÆ, Typis GODERITSCHIANIS.



POSITIOMI HILS FUNDALIS

ELLIDALLENATI

AVOCATIONE ET

ORIGINATIONE FIDALI

Y... ..

... ..

... ..

... .. Collegiorum

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..





7. N. D. N. I. C.

Thef. I.

V Afallus illicitè, h.e. sine Domini consensu Feudum alienans illo excidit. De qua re suo loco dicemus infra. *Exerc. XVII. Th.* Quod si autem licitè, h.e. Domini cum consensu alienatio fiat, non tamen consentientibus Agnatis, vel in Saxonia simultaneè investitis, Jus revocandi his competit vel jure Protimiseos seu Retractus; vel jure delatæ successionis; Quod ultimum Jus revocandi specialiori sensu & κατ' ἐξοχήν dici solet. *II. F. 3. §. Sed etiam. II. F. 26. §. Titius filios. ibi Dd. Const. Eccl. Sax. 48. p. II.*

II. Jus Protimiseos, & Jus Retractus confundere solent plerique, cum effectu ferè coincidunt. In eo tamen maxime differunt, quod illud respiciat alienationem futuram, hoc vero jam factam. Vi itaque illius Agnatus vel simultaneè investitus nondum factam alienationem impedire, & possessorem, ut sibi emendum offerat, compellere potest. *II. F. 3. §. Sed etiam.* jure Retractus vero impletam venditionem rescindere, & alienatum Feudum retrahere *II. F. 26. §. Titius.*

III. Utrumque hocce Jus competit Agnatis, & quidem proximioribus, ita tamen ut successorio locus sit edicto, & si in æquè proximum alienatio facta, pro parte habeat locum. *Ros. c. 4. c. 81. 82,* atque in Saxonia simultaneè investitis *P. II. c. 48.* etiam utroque Jure ratione Feudi hæreditarii. *Rosent. C. 4. c. 89. n. ult. Carpz. L. 2. c. 48. d.l.* Fundamentum hujus rei est sola proximitas & simultanea investitura, quod scilicet feudum potius fit transferendum ad eum, qui alias successurus est, quam ad alium.

IV. Num vero & filii paria cum agnatis faciant, perplexè disputant Dd. uti & omne hoc argumentum tantis involvunt tricis,

A

ut

ut acurissimus alioquin Vir, *Carol. Molinæus in Add. ad Alex. Cons. 30.*
ingenuè fateatur, se, quanto plura legat, eò minus discernere posse,
quæ sit opinio crebrior. Negat autem hanc quæstionem, suamque
sententiam multis rationibus propugnat *H. Pistor. L. 11. g. 12.*
& post eum *Bischof. add. c. Titius.* Plerique verò, quod ipse *Pi-*
stor. non diffitetur, affirmant, inter quos *Rosenthal. C. 9. c. 88.* *Kop-*
pen. D. 54. quique ab his allegantur. Rationes horum omnium,
plene planeque excutere non patitur institutum. Forte ta-
men id in conflictu, si non omni, aliqua saltem ex parte, fieri
potest. Obiter interim id non possumus non monere, miscere
Pistor. argumenta, quibus adversus revocationem jure
successionis, & illam, quæ fit jure retractus, pugnari solet.
Nostram sententiam autem dicere si licet, fatemur, nos illis adsti-
pulari, qui secundum Jus commune filiis hoc Jus protimiseos &
retractus non denegant: cum ratio, ob quam agnatis concessum,
quæ in proximitate & futura successione posita est, quam maxime
hic locum inveniat: neque jure filii communi ullibi excludan-
tur. Neque etiam, quod de filiis adempto Jure revocandi, infra
dicemus, huc trahi potest: dum satis prægnantes rationes dif-
ferentia dari possunt, quas ipsas dissimulare non potuit *H. Pistor.*
g. 7. n. 30. Sicuti autem lubenter fatemur, hanc nostram sententiam
ex *c. Titius II. F. 26.* neutiquam probari, quicquid *Andreas de Isernia,*
quem modò Aurigam, modò Evangelistam, modo avem regalem
Feudistarum ridicula superstitione vocant sequaces, ejusque
commentator *Nardus Liparolus p. 381. L. f.* & quidem hic repu-
gnante conscientia coeco obsequio dicant: ita nec & famosum
illud *C. Titius II. F. 26.* ullum negotium nobis facessit. Nam li-
cet dicatur ibi: eò casu, ubi alienans filios habet, pretio reddito,
posse agnatum recuperare feudum: tamen filiorum mentio non
ideo fit, quod illos jure detrahendi destitutos ostendere velit Feu-
dista, sed in hunc tantum finem, ut doceat, nondum revocationem
jure successionis competere Sempronio, supposito tamen, filios illos
vel noluisse, vel non potuisse ob inopiam retrahere Feudum.
Quibus positus, & filium præferendum esse agnato, & proximiorum
remotiori existimamus. *Struv. XIII. XXIII. c.*

V. Jure Saxonico communi nihil hac de re peculiare haberi
novi.

novimus. *Carpz. II. 48. II.* In Electoratu aliam quoad filios decisionem intuitu juris retractus nobis suppeditat Edictum Torgaviense notissimum *Tit. welcher Gestalt die Agnaten.* Nam licet. *Ms. Berlich. p. 2. c. 16. n. 27.* Edictum illud ad retractum non pertinere tradat, sed tantum ad jus revocandi, rectè tamen ab eo recedit *Carpzov. P. II. C. 49. d. 4.* statuitque, vi illius Edicti nec retractu posse uti filium. Id quod etiam verbas. *Was denn die Söhne anlanget/jun-Elts. Sehen/ Ordnen und wollen demnach ic verbis:* entweder zu redimiren/ oder ohne Entgeld wieder an sich zu bringen. it. in alte wege genehm zuhalten/ satis docent. Planè ut ad Jus protimiseos, quod antè venditionem consummatam exerceri potest, trahamus Edictum Torgaviense, nec verba, nec ratio admittunt; quandoquidem verba: *redimiren, revocationes,* illuc non quadrant; ratio autem, quod sanctior debeat esse persona patris, quàm ut alienationem ejus jam perfectam impugnare possint filii, in perficienda cesset. Quid? quod idiognomen, ne dicam invidiam, vel impietatem insignem proderet pater, qui vendere volens non potius in filium idem offerentem, quàm in alium feudum transferre vellet. Arbitramur ergo Edicto illo Torgaviensi correctorio Jus protimiseos filiis competens & in *Const. XXXI. P. II. assertum* non esse abrogatum: quod etiam sensisse constat *Carpzovium ex Def. 6. n. d. 1. c. 31. P. II. & Pistor. ex q. 13. L. II. n. 79.* haud obscure colligi potest. Utrum autem hæc sententia tantum in Feudo avito, quod alienatoris avus acquisivit ex *Const. XXXI. P. II.* an verò etiam in alio habeat locum, ambiguum videtur. Nobis prius placet, cum Constitutio dicta ob generalitatem verborum ad bona Feudalia, quæ quamplimum avita sunt, & ad conservationem familiarum faciunt, quàm maxime pertinere videatur.

VI. Quando Jus Feudale facultatem retrahendi dat, facit mentionem *prerii II. F. 3. II. F. 26. §. Titius.* Quod in quali, & quanto idem offerre debet jure protimiseos, vel retractus uti volens, quod bona fide emtor solvere paratus est, vel solvit. *d. l. C. 49. P. II. H. Pistor. L. 2. q. 12,* qua in re juramento sæpè locus est. *Richt. dec. 76.* Quamvis ad supplementum ab emtore oblatum postea retracturus non teneatur. *Richt. dec. 76. n. 123.* Ex quo colligunt *Ed.* utrumque hocce jus tantum locum habere in illis alienationibus,

bus, ubi pretium intervenit, uti in emtione, vel quæ ejus vicem
subit, in datione in solutum *a. L. 4. C. de Evict, L. f. C. de præd. min.
sine Decreto non alien.* Cessabit itaque in permutatione, donatione,
& sub infeudatione. *Carpz. P. II. C. 48. d. §. nisi forte in fraudem ta-
le quid factum. Struv. XIII. 23. 1.* Quamvis agnatis & simultaneè
investitis hocce casu jus revocandi non sit ademptum.

VII. Tempus, intra quod retractus exerceri potest, annale
est, *d. c. Titius II. F. 26.* quod interpretes admittunt, si in agnatum
remotioem alienatio facta: quod si verò in extraneum facta sit,
30. annos concedunt retrahenti: *Glossa in d. §. Titius, verbis: Secus
fortè esset, si extraneo alienasset.* quam omnes fere Dd. quasi agmine
facto, sequuntur. Ista opinio tanquam certa in *Const. Sax. L. P. II.*
non allegatur tantum, sed & probatur; ita ut si Feudum non in
simultaneè investitum, sed extraneum alienatum, intra 30 an-
nos annua & diem retrahi possit. Quod si tamen dicendum,
quod res est: nullam Jure communi subesse putamus differentiam,
quippe quam nullibi licuit invenire: Id quod cum ostendisset *H.
Pistor. L. II. q. 12. n. 22.* Sereniss. Elect. AUGUSTUS indifferenter
Jus retractus ad annum restrinxit. *Edict. Torg. Tit. Welcher Gestalt
die Agnaten. §. So viel erstlich die Agnaten Carpz. P. 2. C. 50. d. 3.*

VIII. Etsi autem in d. Constitutione L. quoad tricennalem
præscriptionem, additamentum illud Saxonicum exigitur: in an-
nali tamen neutiquam superpondium sex Sept. & 3. dierum, nec
in his terris requiritur, cum constitutio tantū anni simpliciter sine
addito, faciat mentionem: quod, quando fit annum communem
in Constitutionibus Saxon. intelligi satis constat. *Philipp. O. III. ad Dec.
XI. docet Carpz. P. 2. C. 50. d. 2.* Equidem Decisio modo allegata
de hocce nostro casu disertè non loquitur. Non dubitamus ta-
men, quin argumentum inde commode peti possit. Ceterum
ipsa novo dubio dedit occasionem. Nam cum reuitioni eum
annum statuatur, so 52 Wochen in sich hält/ & illam, nach Abblauß dersel-
ben/non ulterius concedat; notum verò sit annum communem
365 diebus s. 52. Sept. & uno die, intercalarem v. 366. diebus seu 52.
Sept. & 2. diebus constare *L. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. L. 4. §. 5. ff. de
Statu Liber.* creditum fuit à quibusdam, reuitionem vel retractum
præcisè cancellis 52. sept. inclusam, nec audiendum esse, quiulti-
mo

mo illo die, vel diebus sese offert. Verum cum intentio animus-
que Serenissimi, Electoris Saxoniae fuerit, remove annum Saxo-
nicum tantum, atque, ut annus civilis locum habere debeat, deter-
minare: ex eo, quod anni civilis maximam partem, & rotundum
52 septimanarum numerum saltem nominaverit, neutiquam col-
ligi posse arbitramur, mutationem anni quandam factam esse.
Qua de causa existimamus etiam ultima ista parte retractum sus-
cipi posse: praesertim cum & alias in Decisionibus istis novissimis
& resolutionibus gravaminum 52 Septimanae pro anno perfecto
habeantur. Dec. 87. §. 70. d. II. Erb. D. L. G. 1657. Tanti fuit visa
haec disputatio, ut inter casus dubios relata fuerit, quorum decisio
à Sereniss. Elect. Saxoniae petita est.

IX, Quando ille annus verò incipiat currere, non una quo-
que est opinio apud *Dd. ad d. c. Titius*. Nos putamus ratione ini-
tium utilem esse, hoc est, currere à die scientiae rem esse traditam, quo
scilicet retrahere volens cognovit, negotium perfectum esse cum
omnibus suis qualitatibus, vel saltem sine crassissima, & supina
negligentia scire potuit. *Köppen. Dec. 52. n. 27. H. Pistor. L. 2. q. 12. n. 23.*
Quamvis hic non traditionem, d. tempus celebrati contractus re-
spiciat, quod idem facit *Carpz. P. 2. c. 32. d. 3. in parter d. C. 32.* vo-
cans cum *Müllero ad d. C.* Quod tamen vix probari poterit, ut *Ber-
lichius P. 2. C. 28. n. 4.* evincit.

X. Jus protimiseos & Domino rectè tribuitur ob favorem
consolidationis, & quia æquum est, rem ad eum potius redire, à
quo profecta, quam ad alium *a. L. f. C. de Bon. emphyt. Carpz. P. 2. C. 31.*
d. 6. 7. Raub. 6. p. 4. q. 43. n. 27. Sententia post *Weichbild: von den*
Lehn-Gütern Tit. der Lehn-Herr hat in denen Gütern die von ihm zur
Lehn rühren/ den Vorfauff. quod Jus cum cessibile sit, in alios saepe
transferre Dominos experientia testatur. Quod si tamen agnati vel
simultaneè investiti cum Domino concurrunt, hi Domino utique
preferendi erunt. *Wesenbec, P. II. C. 73. n. 43.* De Jure retractus
alia fere dicenda videntur. Aut enim consensit Dominus alie-
nationi, aut non: priori casu sibi ipsi nocuit; nec poterit retrahere
Feudum; posteriori casu Feudum alias ad ipsum redit. *II. F. 55.*
nec opus habet retractu, quo uti velle, refundereque pretium, abso-
num foret. Et si maxime diceret retrahendo & solvendo pre-
tium

tiorum id agi, ut Feudum perpetuo apud Dominum maneat, nec ad agnatos redeat, extincto alienante & ejus heredibus: nec tamen id admitteremus, cum Agnatis præjudicium hac parte fieri non possit. Certe in his terris eò minus hoc casu retractui est locus, quo certius ex *Const. 28. P. II.* est, Feudo illicite alienato, statim id devolvi ad simultaneè investitos, *Carpz. d. l. d. 14.* Sed iis tamen casibus, si in literis Investituræ facultas data alienandi Feudum sine Domini consensu, vel si in genere consensus in alienationem præstitus, non in certam emptoris personam, locum esse retractui asserit *Wesenbec. P. II, C. 70. n. 46.* Quam sententiam, licet dubiis non careat, interim defendemus. *Conf. Rosenth. c. p. m. 2. n. 6.* qui tamen paulo obscurius hanc tractat quæstionem.

XI. Deveniendum jam est ad jus revocandi, quod successio tribuit: vi cujus Agnatus vel simultaneè investitus (modo actu simultaneam investiturum nactus sit, *Carpz. P. 2. C. 48. d. 8.*) Feudo sine suo consensu alienatum, morte alienantis, illiusque descendentium ad se devoluto, à quocunque possessore, etiam alio agnato remotiore, vel pro rata ab eo, qui in pari gradu est, & solus emit feudum, nullo pretio soluto revocat, *II. F. 26. §. Titius. II. F. 39. I. F. 8. §. hoc quoque Const. 48. 49. P. II.* Nam licet Dominus consenserit, non tamen potuit jus alterius tollere: neque emtor grave id ferre, sed scire debet, illius jure, à quo causam habet, resolutò, & suum solvi, *L. 31. ff. de pignor. & hypoth.* Patet tamen illi regressus ad venditoris hæredes, ut pretium reddant. *Franzk. Tit. de Evict. n. 126. H. Pist. l. 2. q. 10. Conf. T. Muschr. §. wenn aber nun*

XII. Fluit hinc, non omnibus Agnatis hoc jus revocandi competere, sed illis tantum, ad quos successio actu devoluta est. *Ant. D. Tb. 5. Lit. d.* Putamus tamen, si hi illud negligent, & remotioribus postea successio deferatur, & hoc quoque eodem jure uti posse. Item dicendum erit de simultaneè investitis, si inter illos prærogativa gradus habeatur. *Ex. XIII. 57.*

XIII. Quod si tamen alienanti simul succedant in allodio, hæredesque ejus fiant mediatè vel immediatè; sicque ad factum illius præstandum sint adstricti, utique revocatio hæc cessabit. *Ant. D. 10, Tb. 6. l. b. L. 67. §. 8. ff. de Legat. 2. L. 12. C. de R. V. L. 7. C. de Neg.*

Neg. gest. L. 149. ff. de V. S. quæ ipsa sententia in Const. 48. P. II. probatur: quamvis hæc Constitutio à quibusdam ita intelligatur, ut revocatio hoc casu locum quidem inveniatur, sed restituto pretio. Quicquid sit in Edict. Torgav. d. l. §. Es sollen auch. potestas revocandi simultanee investitis, licet hæredes simul sint, diserte conceditur, ita tamen, ut ex allodio, quantum vires ejus id patiuntur, facta alienatoris præstare teneantur. Conf. Carpz. d. c. 48. d. 3.

XIV. Cessat porrò revocatio hæc ratione Feudi hæreditarii: ob liberam dispositionem, quam Vasallus in tali feudo habet *Berl. P. 2. C. 57. n. 5. Ant. d. l. Tb. 4. L. d.* Studiosè tamen examinandum est, quousque illa libertas Vasallo concessa, & inde decisio petenda. *Conf. Exerc. IV. Tb. 34.* Plane in Electoratu Saxonico vi simultaneæ investituræ, & Torgav. Edicti hæc revocatio & in Feudo hæreditario habet locum, *Carpz. P. 2. C. 48. d. l. ubi Esbach.*

XV. Agnatus, vel simultaneè investitus consentiens alienationi Jus protimiseos & retractus perdit, *I. F. 5. II. F. 39. C. Titius II. F. 26.* Perdit etiam Jus revocandi ex jure successione competens, ita ut liberis quoque ejus consensus utroque casu obsit. *H. Pistor. L. 2. q. 7. Torgauisch. Ausschreiben d. l. §. wenn denn Vid. Myns. l. obs. 50. V. obs. 55.* Quamvis, quoad hoc posterius Jus revocandi scilicet secus sit, si tantum recuset emere feudum oblatum. Interim hæc recusatione purè facta, Jus protimiseos & retractus utique amittitur, modo oblatio pretii & emtoris designatione legitime facta, *Carpz. II. 32. 1. II. 48. 6. Dissentit. Trinquellus de Retrahtu §. 1. glossa. 9. n. 134. & 145.* Pari modo Jus integrum omne manet, si contractum alienationis subscripserit, nulla facta mentione consensus; cum ceu à teste id factum esse potuerit. *H. Pistor. L. II. q. 7. Espach. ad Carpz. 2. 48. 6. Dn. Stryk. de cautel. Sect. 3. c. 8. Tb. 35.* Sed uti in omnibus, ita & hic excludimus dolum. *Carpz. d. l. n. 5.*

XVI. Equidem multi Dd. consensum expressum hic desiderant, tacitum haud sufficere existimantes. Verum cum Jus Feudale, quantum meminimus, nullibi id exigat, verbumque *consentire*, *I. F. 5. §. præterea. I. F. 39. c. Titius II. F. 26.*, tam ad expressum, quam ad tacitum pertineat consensum, sicut notissimum id est omnibus: non videmus, cur tacitum planè excludere velimus. Interim ultro fatemur, tacitum consensum, in re tam magni momenti, si ulla
alia



alia conjectura capi poterit, non temere esse allegandum, sed tunc demum, ubi ex facto non possit non sequi. Atque sic ille consensisse utique videtur, qui suavit venditionem, aut emtionem, qui evictionem spondit. *L. ii. C. de Eviction.*

XVII. Cum nemini invito jus auferri possit, nullum dubium, quin Agnati aut simultaneè investiti nolentes haud possint cogi, ut consentiant in alienationem. Hinc licet major pars consentiat, reliquis tamen jus illibatum superest, pro sua parte, sive in agnatum remotiorem, sive extraneum alienatio facta, scilicet viventibus consentientibus: illis enim mortuis, & eorum descendenti- bus, & quoad horum partem revocatio habet locum. *H. Pistor. L. 2. q. 6. n. 30. & praesertim q. 7. n. 24. & 33. Berlich. Dec. 125. Conf. Torg. Ausschreib/d. l. 5. Sehen ordnen demnach.* In quam sententiam Collegium Wittebergense respondit versus Lubenam M. Martio 1690. & M. Febr. 1695. A. H. Aliter se res habet, si ob debita Feudalia, de quibus suo loco dicendum, alienatio suscipienda; vel agnatus aut simultaneè investitus pacto sese obstrinxit ad consentiendum. Quid in Marchia obtineat, *Dn. Rhetius. l. 8. p. 330. & Dn. Stryk. c. 20. q. 10. docent.*

XIIX. Agnati vel simultaneè investiti impuberis vel minoris tutor vel curator, vel solus, vel cum illo, qui in tutela vel cura est, sine decreto consentiens in alienationem, non adimit Jus revocandi pupillo, vel minori competens, *A. totius Tit. C. & ff. de rebus minorum sine decreto non alienandis. H. Pistor. obs. 62.* Si tamen major factus, ultra quinquennium tacuit, nec impugnavit alienationem, postea non audiendus erit, si revocare vellet Feudum, in cujus alienationem consensus titulo oneroso impetratus fuit: nam si lucrativo per modum donationis id fuerit factum, triginta annorum spatium concessum, esse arbitramur. *L. fin. C. si major factus alienationem &c.* Dissidentem allegat *Petrum Heigium L. 2. q. 19. B. Dn. Struv. 13. 19. 5.* Sed de eo casu autor ille loquitur, ubi Feudum illicitè, hoc est, sine domini consensu fuit alienatum. Ceterum si & decreto interveniente læsus fuerit impubes vel minor, illiq; sine justa causa jus suum ablatum, opinamur, restitutionis beneficium intra quadriennium ipsi esse salvum. *L. ii. C. de præd. L. f. C. de Tempor.*

Tempor. restit. In Edicto Torgaviensi d. l. §. Damit nun solcher unmündigen halber/ certus modus statutus est, qua ratione emtor, si minores concurrant, securus esse possit. Quem modum in compendio exhibet *Struv. d. l. n. 6. Carpz. II. 48, 7.*

XIX. Utrum filio hoc jus revocandi competat, magno conatu disceptat Doctores. Affirmantium tanta turba est, ut communis eorum sententia dicatur, uti videre licet apud *Rosenthal. c. 9. c. 76. 88. H. Pistor. L. II. q. 5. & 13.* Rationes in compendio exhibet & refutat *B. Struv. XIII. 16.* Nos cum *H. Pistor. d. l. & Vultejo I. F. 2. n. 88.* si ex jure communi disputatur, negantium partes sequimur simpliciter, missis illis distinctionibus, utrum filius nolit esse, vel non possit hæres, utrum hæres patris cum inventario factus, nec ne? quas tradunt *Rosentb. d. l. & Fachineus. 7. Controv. 18.* Cujus rei rationem in eo potissimum ponimus, quod filius successionem feudalem ab allodiali separare nequeat. *II. F. 45. C. 1. §. Titius. Ex. XXIII. Tb. 18.* atque adeo quod ratione feudi fecit pater, impugnare haud possit. *L. 14. C. de R. V.* Neque etiam hæres plus accipere potest, quam defunctus habuit. *L. 20. d. R. I.* Jam verò cum Pater jure, quod in feudo habuit, tempore mortis non gavissus sit, quò in hæredem illud transeat? Ut taceamus, nullibi in Jure Feudali hoc jus tributum esse filiis mediante paterno sanguine succedentibus in feudum. Adstipulatur nobis textus *I. F. 18. II. F. 9. I. F. 8. §.* Hoc quoque: ex quibus patet, alienationem licitam tamdiu subsistere, quamdiu alienans, & ejus descendentes supersunt. Latius hæc cum argumentis adversariorum expendendi occasionem præbebit forte conflictus. Interim illud monuisse sufficiat, in *Elect. Sax. per Edict. Torg. Tit. Welcher Gestalt die Ugnaten s. was denn. seq.* nostram sententiam diserte probari *Carpz. II. 48. 7.* Equidem *H. Pistor.* allaborat istam ex Jure Saxonico communi adstruere opinionem. Verum dissentientem *Berlich. II. 58. 28, & Carpz. II. 48. II.* rationes potiores nobis videntur. *Conf. D. Edict. Torgav. in fine, ibi: in unsern Landen.*

XX. Si filius cum patre nominatim investitus, vel intuitu filii Feudum patri concessum, non denegari posse putamus filio jus revocandi *Ant. Disp. 10. Tb. 4. L. 6.* Quod etiam *Constit. Elect. Sax.*

B

Sax.

Sax. inedita probat. *Carpz. II. 48. 10.* Quod si tamen hæres factus fit, (nam illud Feudum & sine hæreditate accipere alioquin potest) per indirectum illud jus perdit.

XXI. Quæ de annali præscriptione supra dicta *Tb. VI. seq.* ad jus hoc revocandi jure successionis non pertinent, cum ea pars, *C. Titius, II. F. 26.* quæ anni facit mentionem, tantum intelligenda sit, de jure protimiseos, vel retractus *H. Pist. II. q. 8. 31. & q. 12. n. 20.* Cum itaque nullum Jure Feudali tempus, (nam *I. F. 17.* de alio negotio agitur:) statutum aliud reperiamus, tricenariam huc trahi præscriptionem, in quemcunque Feudum alienatum, ratio postulat, qua & ipsum jus succedendi excluditur. Interim id facile admittimus, in Saxonia annum & diem addi. *Carpz. II. F. 50. Conf. Exerc. X. Tb. 12.* Ceterum cum successione nondum delata non possit agere agnatus, vel simultaneè investitus, palam est, præscriptionem & proximiori, & si hic, jus suum neglexerit, remotiori non currere, nisi à tempore delatæ successionis. Quod argumentum latius exequitur *Struv. XIII. 18. ibique D. Lynker. Carpz. II. 50. 56.* In Saxonia, cum Feudum illicitè sine Domini consensu alienatum, statim simultaneè investito deferatur juxta *Const. XLVIII. P. II.* non dubito, quin hoc casu tempus præscriptionis inchoetur ab alienatione perfecta *Carpz. II. 48. 14.*

XXII. Vidimus hætenus obligationem Feudisticam, quatenus ex consensu verò, sive expresso, sive tacito fuit. Nunc quoniam ductum viri illustis ulterius sequi constitutum nobis est, de illa etiam paulisper dispiciamus obligatione, quæ ex præsumta conventionione descendit. Non malè hanc dici putamus quasi contractum. Nam licet jure Justiniano hæc quasi contractus species cognita haud sit, nihil tamen vetat quò minus moribus, vel jure novo scripto potuerit capere ortum. Elicitur autem præsumta hæc conventio, suggerente id æquitate, ex facto acceptationis, & occupationis Feudi, qua id simul actum creditur, ut ille, qui jure proprio à primo concedente, vel acquirente ad se devolutò, non beneficio defuncti possessoris Feudum nactus, ad debita, seu onera feudo in hærentia, illis se obstringat, cum quibus nunquam verè contraxit.

XXIII.

XXIII. Patet hinc, hanc obligationem tam in Dominum cadere, quando utile dominium ad ipsum redit, atque ab illo recipitur: quam in agnatum, vel simultaneè investitum, Feudo ad ipsos devoluto acceptatoque. Quandoque verò cadit, & in filium, quamvis intuitu hujus, qui Patris hæres simul esse debet, verus contractus concurrere possit, ex quo filius repræsentans defunctum conveniri queat, e. g. si pater mutuam pecuniam acceperit, eamque verterit in feudum: ubi condictio certi ex mutuo cum qualitate adjectitia de in rem verso, adversus filium, habebit locum. Simile quid de aliis Feudi successoribus dicendum est, qui hæredes simul sunt.

XXIV. Fluit inde porrò debita illa, quæ Domini & Agnatorum, vel simultaneè investorum cōsensu munita sunt, huc non pertinere, cum vera conventio subsit; licet aliàs, & ipsa hæc debita feudalia seu onera feudi (*Lehn-Schulden*) dicantur. De quibus obiter notandum est, jure communi ea non nisi in subsidium ex feudo præstanda esse, excusso scilicet allodio. *Nov. 4. c. 2.* eo tamen casu, si feudum pignori datum, excepto. *Struv. 14. 24.* In Saxonia verò Electorali indistinctè simpliterque ex feudo sunt præstanda, ob constitutionem *46. P. II. Carpz. def. 8. n. 7.*

XXV. Observandum est etiam ratione debitorum, vel onerum fedalium, ad quæ ex quasi contractu tenetur successor, nullam competere tacitam hypothecam: quippe quam ratione ipsius Feudi Jus Feudale ignorat. *Camer. in II. F. 55. regulariter p. 82. Neue Gerichts Ordnung Tit. 45. §. wenn aber & finali. Carpz. P. II. Const. 47. def. 33.* Sicut nec patitur, ut generalis hypotheca ad feuda extendatur *Mæv. P. IV. dec. 32.* Atque adeò nulla inde competit actio realis, sed personalis tantum, quæ sive condictio ex moribus, sive actio in factum dicatur, (nam hoc perinde erit, quamvis interdum negotiorum gestorum actio, utilis minimum, locum inveniatur,) instar in rem scriptæ est, & quemlibet sequitur possessorem. *H. Pistor. P. II. qu. 37. n. 9. Carpz. L. IV. Resp. 66. Thomingig. Dec. 27. n. 2.*

XXVI. Nos non fugit, illustrem Dominium *Eubenium Elect.* Feud. C. 7. §. 8. celeberrimi *Sandii* doctrinam probare, causamque hanc

hanc omnem derivare ex successione quadam universali. Sed jam ante nos monuit Magnif. Dn. Lynceus in *Analectis Feudal. C. 14. Aphorism. 5.* vix hæc commodè fieri posse, sententiamque Sandii præsupponere Feuda, quæ hæreditatis conditionem habent, atque adeo omnibus Feudis haud quadrare.

XXVII. Jure communi Feudali de hisce debitis, ad quæ ex quasi contractu successor tenetur, nihil traditum reperitur, exceptis casibus meliorationum *II. F. 28. §. si Vassallus II. F. 5. §. è contrario &c.* & præstationis alimentorum inhabilis *I. F. 6. §. rautus, II. F. 36.* Interim Neapoli, & in Regno Siciliae introductum est, ut alia quædam debita ejusmodi feudis cohærent. Quod cum *Andreas de Isernia & Matthæus de Afflictis* ex jure communi defendere conarentur, alii Dd. illos secuti, eorumque doctrinæ assueti sunt, ita, ut illa usu ubique ferè recepta sit, in Germania præsertim. *Heig. P. II. qu. 20. n. 43. Thomingis Dec. 27. n. 24.* Quoniam tamen mores locorum non usquequaque omni ex parte conveniunt, sed ratione specierum interdum variant, ille, qui feudi onus aliquod dicit, id probare debet. *Mæv. P. II. Dec. 124.* In Electoratu Saxon. hac de re peculiaris extat Constitutio *46. P. II.* Nos potiores, & usu universali ferè receptas species percurramus, quæ duplicis generis sunt. Alia enim debita ob rem in feudum versam, vel quia ipsius Feudi causa contracta simpliciter ex Feudo debentur, alia tantum in subsidium ob favorem causæ deficiente allodio. *Struv. XIV. Tb. 6.*

XXVIII. Ad prius genus pertinet omne id, quod in utilitatem feudi, v. g. ad refectionem, meliorationem ab aliquo impensum, probatumque ab eo, qui agit. *Carpz. II. 46. 26.* Atque ex hac causa hæredes defuncti possessoris allodialis à successore feudali melioramenta repetere possunt. *II. F. 28. §. Si vassallus.* Quamvis autem quidam putent, nullam hac parte actionem competere, sed tantum exceptionem, & retentionem, atque notissimos Juris Civilis textus in partes trahant, quos allegavit *Bitsebius d. cap. si vassallus II. F. 28.* putamus tamen, non malè huc actionem, saltem utilem, ex quasi contractu negotiorum gestorum applicari posse, cum hic, qui scivit, rem ad alium posse devolvi, impensamque in istam fecit, alienum negotium gessisse

fisse utique simul videatur. *F. textus L. fin. ff. de Negot. gestis.* Huc quoque referunt salarium Advocati, qui causas feudales utiliter gessit, item casum, si alterius pecunia in feudum versa à possessore. *Carpz. de Onere Feudali decad. 4. poss. 1. 5. Vid. Diss. sub. D. Eschelio hab. Helmst. de Debit. Feudalibus Th. 37. seq.*

XXIX. Porro huc refertur æs alienum ad Feudum comparandum contractum, dicta *Const. 46. P. II. verbis.* Also auch da es sich zu trüge. *Carpz. def. 27. d. 1.* De Jure communi idem tradunt *A. Brun. Conf. 104.* allegatique à Richterò *Dec. 78. n. 16.* Adversantur tamen alii *Thomingsius. Dec. 27.* sed putamus cum *Dn. Struvio 14. 8.* eandem subesse hinc æquitatis rationem, quæ in prioribus fuit allegata quoad agnatum, vel simultaneè investitum. Nam quoad Dominum, vix hæc sententia defendi poterit, ut ipse *Dn. Struv.* advertit. Tutius interim est, ut creditor de hypotheca sibi prospiciat. De residuo pretii, quod venditori debuit, Vasallus emtor, nihil habet *Constitutio Saxonica;* non dubitamus tamen, quin illa eo trahenda sit ex mente Serenissimi Constituentis ob verba zu Bezahlung des Lehn-Guths. *Carpz. L. IV. Resp. 66. n. 12. & decad. 4. de Onerib. Feud. posit. 5. num. 20.* Imò idem *Carpzov.* non malè extendit constitutionem ad casum, ubi Feudo vendito, inter emtorem & venditorem conventum fuerit, ut ex pretio venditionis, vel certa saltem ejus parte satisfaciatur emtor creditoribus hæreditariis venditoris, idque, dum adhuc in vivis est, non faciat. *Carpz. d. Resp. 66. ad quam sententiam & in Collegio Wittebergensi responsum esse meminimus.*

XXX. Deinde huc refertur *Dot alitium, Witthum/Leibgeding/Leibzucht/h. e. ususfructus in re feudali, vel certus redditus aut census viduæ constitutus, vel constituendus ob dotem illatam, & versam in Feudum. H. Pistor. L. 1. q. 4. Berlich. P. II. concl. 50.* Quod si enim constitutum jam est intra legitimum modum à marito, licet nec Domino, nec agnato consentiente, ille tamen, qui succedit, præstare id debet. Nam consensum Domini exigere hic, & agnatorum aut simultaneè investorum opus non est; licet tutius & utilius id fiat ob causas, quas habet *Dn. Struv. XIV. 12. & Dn. Lynker. XIV. 9.* Quod si autem à marito non est constitutum, successor ipse id constituere debet. *Carpz. P. II. const. 44.*



def. l. 3. Interim viduæ liberisque ejus siue constitutum, siue non, optio competit, utrum dotalitium apprehendere, vel exigere, an verò dotem, quæ alias, nisi aliud placuerit, feudo cedit, repetere velit? *Carpz. II. 44. 2. & P. II. Const. 49. d. 2. 3. 4.* Sicuti, & dotalitio non constituto, successores feudales audiendi sunt, si dotem, & cum illa totidem ratione donationis propter nuptias reddere velint, *Carpz. d. l. D. 7.*

XXXI. Ex dictis jam constat, dotalitium non aliter deberi, quàm si illatio probatur, & quidem contra agnatos, & Dominum alio modo quam confessione mariti, quæ liberos, & hæredes alias stringit *Carpz. d. l. def. 10. & L. 6. Resp. 56.* Requiritur, & versio in feudum, sine qua nulla causa est, cur Feudo onus imponatur. Plerique tamen asserunt cessionem hanc in feudum præsumi, quod bene deducit *H. Pistor. L. II. q. 4. n. 16. Carpz. L. IV. Resp. 57.* Ad quam sententiam in casu, ubi viduæ cum Domino feudi hac de re lis erat, respondit *Collegium Witteb. D. F. K. mense Febr. 1681.* Illam tamen in dubium vocat, si cum filiis res non sit, illustris *Dn. Stryk. Diss. 4. de Successione ab intestato C. 2. num. 11.*

XXXII. Si dos promissa vivo, tamen marito non illata, quaritur, an vidua dotalitium petere possit, si dotem offerat cum usuris? Si ex jure communi decisio petenda, vix audientiam mulierem, præsertim contra Dominum, Agnatos, vel simultaneè investitos putamus, ob *Auth. Dos data. in f. C. de Donat. ante nupt. Ill. d. Stryk. de Success. ab intest. d. l. §. 11.* Moribus tamen præsertim Saxonis passim invaluit affirmativa decisio. *Brunn. C. 4. d. 49. Carpz. II. 44. 11. quæ confirmatur Sax. Elec. Dec. LV. ubi Phil.*

XXXIII. Quantum dotalitium sit, ex moribus, vel peculiaribus Statutis cujuscunque loci, plerumque vero ex voluntate paciscentium pendet: ubi tamen cavendum, ne modum excedat; hoc enim factò ex arbitrio judicis ad æquitatem reducendum est. In Saxonia ex inveterata consuetudine obtinet, ut dotalitii loco præstentur quadruplicati redditus dotis. Scilicet donatio propter nuptias tanta constituitur, quanta est dos, atque ob utramque duplicatæ usuræ præstantur. *H. Pistor. L. I. qv. 4. num. 1. Schneidew. adtit. de hereditat. quæ ab intest. rubric. de Success. Saxon. inter marit. & uxor. n. 46. Carpz. quidem*

dem P. II. C. 42. d. 2. dubie de hac re loqui videtur; præjudicia
tamen subiecta docent, idem ipsum sentire. Atque sic, quæ
dotem 1000 Imp. infert, 200. annuos accipit. Ceterum & apud
nos hæc res ex pactis plerumque dependet. Cautelæ interim
loco nobiles uxores, ducentes divites, habere solent, ut exi-
guam dotem sibi constitui, reliqua autem bona, tanquam para-
phernalia, inferri curent: ne proverbium effectum fortiatur: *Rei-
che Weiber/ arme Kinder. Vid. Mülpfort. Caut. Feud. Cap. X.* Quid
in Marchia circa dotalitium obtineat, docet *Ill. D. Stryk. de Succ.
ab intest. C. IV. Disp. 2. Th. 13.* Item videri potest de loco, quem
in concursu occupat §. 19. cui quoad Saxoniam jungenda
est *Ordinatio Judicialis T. 43. §.* *Somallen Carpz. P. I. Const. 28. D.
93.* Unicum ad huc observamus, dotalitium inter non nobi-
les quoque locum invenire posse: quamvis potissimum illustres
nobilesque illo soleant uti *Carpz. II. 42. 23. Schultz. d. F. c. 8. n. 18.*

XXXIV. Feudorum Imperii onus quoque esse dotaliti-
um, notissimum est, *Jtter. de Feud. Imp. C. 18. §. 11.* observatumque est
à *perillustri d. Seckendorffio H. Luth. L. III. Sect. 17. §. 65. additione L. C. vidu-
is Principum partes quasdam Feudorum Imperii cum omni
Jure territoriali quoque loco dotalitii fuisse olim concessas. Quod
exemplo Elisabethæ Hassiacæ viduæ Joh. Saxonix Ducis, Rochli-
ziensem Præfecturam, & alia quædam loca Misniæ tenentis,
probat. Hodiè verò ubi superioritas territorialis ad *imperiu* per-
venit, Principes & Status Imperii neutiquam prodigi hac parte
sunt, & nunquam illam forte, imò rarissime Jurisdictionem, sed
censum plerumque ex certis præfecturis cum habitatione,
aliisque, quibus viduis celso loco natis, opus est, concedere so-
lent.*

XXXV. Vidua, ad secunda vota transiens, non perdit dota-
litium. *D. Stryk. De Success. ab intest. C. 4. D. 2. 18.* Pensiones vero
ex dotalitio perceptæ, secundo marito plenissimè jure cedunt.
Carpz. L. 6. Resp. 55. Quod si tamen pacta dotalia aliud velint, in
his merito est subsistendum.

XXXVI. Jus tacitæ hypothecæ ratione dotis mulieres in
Feudo non habere, communis est sententia, *Carpz. II. 5. 2. Mar-
tini ad Ordin. Judicial. F. 45. §. 11.* Quatenus tamen in Feudum
versa

versa censetur, eatenus onus feudi fit, prout de aliis in feudum
versis supra fuit dictum. In Saxonia Electorali d. §. 11. C. 25.
R. II. jus praelationis certo modo mulieri est concessum, ut si
nempe ex bonis allodialibus, vel ex residuo pretii feudi ven-
diti ratione dotis, (cujus illatio probanda, ex qua versio præsu-
mitur) satis fieri non possit, nec ipsi dotalitium constitutum,
ex bonis feudalibus, intellige, aliis, quam quæ jam vendita, dos
reddatur, post creditores expressamq; consensuatam hypothecam
habentes, quippe qui juxta. *Carpz. II. 37. 33.* omnibus potiores
sunt, ante omnes alios, qui onus feudale quoddam persequun-
tur, vel hypothecam tacitam in feudo habent, qualia exempla
sunt in §. *fin. d. T. 45.* Quo nomine & mulieri jus retentionis
est concessum. *B. Ziegl. ad d. §. 11. verbis: So viel daran zu beweisen.*
Sunt qui hocce casu mulieri hypothecam tacitam censent
esse datam, sed dubium hoc est, cum textus fileant. Inter-
im hoc ex inde patet, subsidiarium esse jus praelationis mulieri hic
concessum.

XXXVII. Ad subsidiaria onera feudi moribus Germaniæ
refertur constitutio dotis, & educatio filiarum, quæ ex feudo
præstanda sunt, si ex allodio id fieri non possit, modo feudum
æri alieno sufficiat. *Stryv. XIV. 17. & qui ibi allegantur. Rhetius I. F.*
I. p. 105. n. 3. In Pomerania indistincte dotem ex Feudo deberi
Men. RP. III. 366. docet, cui jungenda *Dissertatio Strykiana Volum. III.*
de Feudis Pomeranicis, Th. 17. Marchiam autem hac in parte sibi
ipsi non constare ex *D. Rhetii I. F. 8. p. 366,* patet. In nostra Sa-
xonia ratione dotis distinctione opus est. Aut enim dos con-
grua jam constituta, & debitum eo nomine à patre, vel fratre
dotatæ contractum, etiam sine consensu Domini, & agnatorum,
& tunc debitum ex feudo solo, non verò ex allodio solvendum,
C. 46. P. II. ibique Carpz. D. 13. Aut dos adhuc constituenda est, &
tunc dotatio (sub qua sumtus nuptiales &c. *Hochzeit und Schmuck-*
Geld comprehenduntur) non nisi subsidiarium onus est, sicut &
educatio filiarum. *Neue Gerichts-Ordn. T. 45. §. Es trägt sich auch*
offt III. Carpz. II. 46. 16. Quod subsidiarium onus ita feudo in-
heret, ut cum eo ad quemlibet transeat possessorem, & filia o-
mnibus fratrum creditoribus eo nomine præferantur. *Dist. 5.*
Es

Es trägt &c Praefere etiam vult patriis creditoribus *Carpzov. de Onere Vasalli Decad. 3. Pos. 8. infine.* Sed id meritò indubium vocat *B. Ziegl. ad d. §.* Utrum verò hypotheca tacita filiabus concessa, iterum meritò in dubitaveris *d. Lynck. ad Struv. XIV. 17. 2.*

XXXVIII. Quanta dos filiis constituenda sit? ex arbitrio Domini, si pares conveniri non possint, pendet: qua in re tum ad dignitatem patris, tum ad liberorum numerum, tum ad conditionem feudi, familiaeque respiciendum est. *Struv. XIV. 17. Stryk. de Success. ab intest. Diss. 8. C. 10. §. 27.* In Principum aliisque illustribus familiis pacta familiaria hac de re saepe disponunt, de quibus vid. *Müllerus ab Ebrenbach. in Gamologia.*

XXXIX. Dos filiabus non aliter debetur, regul. quam si nubant *l. 23. 21. ff. de Jure dotium.* Hinc si non nupserint, Feudi hoc lucrum est. Aliud tamen est, si dos loco legitimæ assignata. vid. *Stryk. de Succ. ab intest. D. III. c. 2. §. 21.*

XL. Post hæc in subsidium filiis ob animi corporisve vitium ad succedendum inhabilibus ex feudo alimenta præstanda *II. F. 6. §. mutui II. F. 26. Struv. 12. 18. Conf. Exercit. 12. Th. 32. supra.*

XLI. Expensæ in funus Vasalli factæ, si modò non immodicæ fuerint, juxta communem ferè sententiam ex feudo in subsidium solvi debent. *Struv. XIV. 20.* Quod etiam ad filiam, & uxorem Vasalli extendunt. *May. Disc. levaminis inopiae de bit. c. 7. n. 128. Heig. Diss. sub D. Eichelio habitu de Debit. feudal. Th. 53.* Fatemur hoc valdè æquum esse; dubitamus tamen utrum hæc sententia in nostra Saxoniam habeat locum, cum *Constit. 46. P. II.* fileat. Qua de causa etiam *Carpzov. d. 36.* hoc onus non agnoscit.

XLII. Referunt huc suo modo legitimam. Hanc filia ex feudo petere non possunt; cum portio sit illius, quod ab intestato debetur, filiaque incapaces sint regulariter successionis Feudalis. *Rosenthal. C. 7. Concl. 13.* Limitatur tamen hoc in feudo, ubi filia succedunt. Ubi procul dubio ex ipsa substantia feudi legitima pars filiabus non poterit denegari. (2) si feudum noviter emtum & pater in ejus comparationem omnia sua bona, vel maximam eorum partem impenderit, C atque

atque sic in legitima filia^æ damnum sentiant. *Carpzov. III. q. 28.* Quo tamen casu legitima non secundum veram æstimationem, sed duntaxat habita ratione pecunia^æ in emtionem feudi collata^æ præstanda. Pari ratione legitima debetur, si quis bona sua omnia in feudum obtulerit. Utroque tamen casu non pars ipsius feudi, sed æstimatio debetur. *Struv. XIV. 19.* Legitimam autem hancce filia si acceperit, dotem amplius petere non potest, *Brunnem. Cent. 2. D. 60.* Sicut & si filia dos jam data, illa in legitimam imputanda. *L. 24. C. de inoffic. Test. Carpz. III. q. 32. & de Jur. Form. Decad. 8. Dos. 19. n. 35.* Est etiam, ubi ratione filiorum hæc decisio habet locum, si nempe feudum tale noviteremtum in primogenitum transtulerit solum pater. *Camer. ad Cap. Imper. II. F. 55. §. Præterea.* Non dubitamus quoque ad legitimam parentum illam extendi posse. *dict. Diss. Eichelii §. 38.* Cæterum de Legitima filiarum conferre poterit *Const. Sax. inedita II.* ex qua id præcipue notandum legitimam hac parte, si duo aut tres heredes adsint, esse quadrantem; si quatuor aut plures vero, trientem atque sic Jure commune esse mutatum hoc intuitu *Carpz. III. q. 29. Conf. D. Schilt. Ex. XIV. Th. 73. seq.*

XLIII. De hisce autem oneribus omnibus id notari mereatur, in eorum locum succedere debita, quæ ad exsolutionem eorum sunt contracta, & ita quidem, ut vel simpliciter, vel in subsidium ex feudo debeant præstari, prout nempe extinctum onus debuit. Id quod latius deducit *Struv. C. 14. d. 25. Exc. est ratione dotis in Constit. 46. p. II.*

XLIV. Cum hisce oneribus feudi non sunt confundenda onera Vasalli, ad quæ successor feudalis nullo modo adstringitur. Hinc impensas ob fructus factas successor feudalis solvere non debet. *Struv. d. l. Th. 16.* nisi quatenus fructus ad successorem feudalem pertinent. vid. supra *Diss. XII. Th. 31* Itidem ad successorem non spectant debita ob servitia contracta. *Carpz. II. 46. 34.* Quid in Saxonia ratione des Præsent Geldes obtineat, ex decisione novissima 32 notum est. Placet de cetero nobis sententia *Carpzovii*, quam habet in tractatu de onere Vasalli *Decad. 4. Post. 10.* collectas extraordinarias ob extremam necessitatem impositas, si à vasallo vivo non sunt soluta^æ, successorem feudalem præstare debere.


56

60 A

ULB Halle 3
002 635 348





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

52. 11

S FEUDALIS

primasexta 1695 86

ENATI
ONE, ET
FEUDALI
TRACTU.

E
CO HORNIO,
atq; Collegiorum
nt, Adfessore,

C. XCV.
Ctorum
det

OFREDUS de
ques Lusatus.

DERITSCHIANIS.

